

Beck

*De lege regia
Romanorum*

1780



AD

V I R O S

IVRISCONSULTISSIMOS AC DOCTISSIMOS

D. CAROLVM GUILIELMV M
WINCKLERVM

E T

H E N R I C V M G O D O F R E D V M
W I N C K L E R V M

A M I C O R V M Q V O R V N D A M

EPISTOLA

QVÂ IPSIS DE INSTITUTA KAL. IVNIIS A. CICICCLXXX.

ALTERGATIONE CVM ERVDITIS PUBLICA GRATVLANTVR

INTERPRETE

CHRISTIANO DANIELE BECKIO

A. A. M.

De Lege Regia Romanorum.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEM. HAERED. ET KLAVBARTHIA.

V I R O S

PARISIENSIS LIBRARIUS AG. D. GOETHE.

DE CLODIONE ET CLODIA.

ACTA ET COMMENTARIA.

T A

WILHELMUS RÖDERUS DE RAVENAU.

WILHELMUS RÖDERUS.

IMAGINUM MUSICA



ALLEGATIONE COM. ERNSTI GRATIANI

CHRISTIANUS DANIELI HOMO

FIDES

ANTONIUS VON KLEINERER ET MAYER.

PRAEMITTITVR BECKII DIATRIBE
DE LEGE REGIA ROMANORVM
IVRISCONSULTISSIMOS WINCKLEROS.

Cum essent Vobis, Iurisperitissimi Viri, per me declarandi gratissimi sensus gaudii et amicitiae, quibus pleni sunt amicorum Vestrorum animi eo die, quem laudibus Vestris non parum incrementi addere laeti vident: equidem hoc pietatis officium, quo iucundius ne cogitari quidem poterat, libentissime suscepi, sed tum demum amicorum mandatis me satisfactum esse putaui, si, quum amor eorum erga Vos sit constantissimus, semperque permanens, monumentum eius exstruerem, quantum fieri posset, firmissimum. Etsi enim facile mihi persuadebat Vestrae erga nos amicitiae ratio, fore, ut, quocunque scriptioris genere exposuerim amicorum sensus, libenter eos et beneuelle cognoscatis: tamen fuerunt, quae me impellerent, ut iuberem vota amicorum vel comitari vel praetire libellum, qui de re ageret ad illud litterarum genus pertinenti, quod Vos egregie tractatis. Sperabam enim Vos etiam leuissimam hanc scriptiunculam hominis, quem insigni hastenus ornastis benevolentia esse, quamvis non inter pocula, tamen post ea, lecturos. Atque huic quidem libello occasionem dedit lectio libri Bellefortii, ^{a)} V. III., quo copiose et ornate de antiquitate ciuitatis iurisque Rom. exposuit, sed ita, ut in multis temere fides eruditio Viro haberi non posse videretur. In huius Operis altera parte cum vidif-

sem

a) Roemische Republick oder allgemeiner Plan der ehemaligen Regie-

rung Roms, aus dem Franz. des Herrn v. Beaufort. Danz. 1775. 4 voll. octav.

sem etiam de *Lege Regia Romanorum*^{b)} parum recte disputatum esse: constitui eam rem hac diatriba persequi, omninoque naturam mutatae ab Augusto reipublicae et indeolem potestatis Imperatorum accuratius ostendere e veterum scriptis. Qua de re etiā iam plures ante me et Bellefōrtium exposuerunt, iisque doctissimi, viri^{c)}: tamen credebam superesse, quod et ego utiliter monere, in primis contra Bellef., possem. Neque vero aut *Vestra* doctrina multa hic quaeret noua, haec tenuisque prorsus incognita, aut ego, qui sum ab omni studiorum meorum ostentatione, etiam cum damno aliquo, uti noscitur, quam longissime remotus, iactabo me aliis melius omnia scire. Tot vero de *Lege Regia* scri-

b) Hoc addere placuit, quo distingueretur a nobili illo pacto inter Ottонem M. Imp. et Leonem VIII. P. R. cui etiam est Legis regiae nomen, ap. Pfess. ad Vitri. I. p. 62. de qua alibi forte dici poterit. — Etiam Capitulatio Caesarea a nonnullis appellatur Lex Germanorum Regia.

c) Scriptorum, qui peculiares libros de L. R. composuerint, innotuerunt mihi hi: *Scipio. Genilis Oratio de Lege Regia*. *Lansius* de L. R. *Insti Ecclardi Alfeld* Tract. de L. R. Marburg. 1599. *Martini Schook* de figura legis regiae epistola ad fratrem Ant. Schookium, Groen. 1661. 12. sed postea auctior prodiit sub Tit.: De quadruplici lege Regia. Frf. 1668. 12. *Iob. Christoph. Beckmanni* Diff. de Lege R. ad calcem meditatt. politt. ed. 2. 1674. *Iob. Frid. Gronou i* Oratio de Lege Regia, LB. 1678. 8. sed etiam gallice conuersa cum pluribus scriptis minoribus cura Barbeyraci exiit LB. 1731. 2. Voll. 8. *Io. Bapt. Castelli* Diff. de L. R. qua Romanorum imperium Octauiano Aug. delarum. Patav. 1685. *Gerardi Noodt* Oratio de iure summi Imperii et L. R. p. 775. ff. ed. Opp.

eius a. 1713. vel p. 543. ff. T. I. Opp. ed. Col. 1732. *Metastasius* de L. R. de quo infra, et *Beaufort* T. II. Ex his Schookium, Beckmanum, Noodtium, Metastasius et Bellefōrtium legi, sed inuitus carui primario hac in re libro Gronouii, quem diu frustra quaesivi, Contuli etiam *Iani Vincent. Grauinæ Originum* iuris ciu. libros III. quibus accedit de Rom. imp. liber singularis ex ed. Gottfr. Masconii L. 1737. 4. *Marii Augustini Campiani*, Priernatis, de officio et potest. magistratum R. et iurisd. libros II. Genev. 1725. 4. vbi praemissa est diff. de potestate Rom. Imperatoris; *Mich. Conr. Curtii*, V. C. Comm. de senatu Rom. post tempora reip. liberae, Halae 1768. 8. et recufo Genev. 4. vbi C. 3. de L. R. 3 etiam S. V. *Io. Aug. Ernsti* Exc. II. de Vespaniani Imperio ad Tacitum. — Quos legi, plerumque obseruati, non satis accurate distinxisse tempora et mores singulorum Impp., temere credidisse, fragmentum SCti cuiusdam, de quo infra, esse Legem Reg., quam Tribonianus designat, denique magis e principiis iuris naturae, quam factis, disputasse.

scriptis libris, quum varii Iuris Iustinianei loci deditissent occasionem: ante omnia hi afferendi esse videbantur.

Sunt vero loci e Iuris Civilis Corpore huc pertinentes duplicis generis. In aliis enim diserte commemoratur regia lex, alii ita de imperatorum potestate loquuntur, ut ea maxima omnibusque legibus superior fuisse videatur. Prioris generis loci sunt: Vlpian. L. I. Instit. in Dig. (lib. I. T. 4.) de Const. Princ. L. I. Quod principi placuit, legis habet vigorem: utpote cum lege regia, quae de imperio eius lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem conferat.^{d)} Eadem fere verba Instit. (L. I. T. 2.) de tur. Nat. §. 6. Iustinianum ita loquentem facit Tribonianus L. 7. Cod. (L. I. T. 17) de vet. Iur. encl. Cum enim lege antiqua, quae regia nuncupatur, omne ius, omnisque potestas populi R. in imperatoriam translata sunt potestatem, nos vero sanctionem omnem non dividimus in alias et alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus, quid possit antiquitas legibus nostris abrogare? Eadem in Hist. Iur. de concept. Dig. §. 7. Alterius generis obseruauimus hos: L. II. D. (L. I. T. 2.) de Orig. Iur. Nonissime, sicut ad pauciores iuris constituendi viata^{e)} transisse ipsis rebus dictantibus videbatur: per partes^{f)} euenit, ut necesse esset, reipublicae per unum consuli. Nam senatus non perinde omnes provincias probe gerere poterat. Igitur constituto principe datum est ei ius, ut, quod constituisset, ratum esset. Vlpian. L. 13. ad Leg. Iul. et Pap. d. 31. D. de Legg. Printeps legibus solutus est, Augusta autem licet legibus soluta non est, principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quae et ipsi habent. L. I. Cod. T. 17. III. I. 21. Si quid forte ambiguum fuerit visum — hoc Imperator interpretabitur recte. Nam

A 3

haec

d) Theoph. Paraph. I. I. T. 2 §. 6 p. m. 26. ed. a. 1610. νόμος βεργίς, — ὅτι, μερικαὶ τεθῆσι πάσαις φασιλεῖ δέδωκε κύριος δύνας τὴν ἐξετάσιν.

e) An vis? hoc voc. saepe idem vallet ac potestas.

f) Haec verba, per partes, Cuiacius explicat lenio progreßu, Eu. Otto praef. Thel. I. T. IV, per factiones, Muretus

Comm. de Legg. et Bynkershoek. in Praeterim, legunt: per patres. Quae emendatio ut non est necessaria, ita sequentia verba commendant Cuiaci rationem. Caeterum alii quoque tradunt, non potuisse Romanum sine uno principe salvam esse. v. Reim. ad D. C. T. I. p. 380. f.

haec facultas illi soli a legibus permitta est.^{g)} L. 22. Cod. (L. I. T. 14.) de Leg. et Const. Pr. — cum et veteris iuris conditores constitutiones, quae ex imperiali decreto processerunt, legis vim obtinere aperte dilucideque definiant. Ibid. de Leg. interpret. l. I. tam conditor, quem interpres, legum solus imperator iuste existimabitur, nihil hac legē derogante veteris iuris conditoribus: quia et eis hoc maiestas^{h)} imperialis permisit. Quos quidem duo postremos locos nullus scriptorum, quos legi, adnotauerat. Referuntur huc etiam alii loci, quibus Lex Regia variis indicari nominibus censetur; vt L. 3. Cod. (6, 23.) de Test. sicut enim lex imperii solemnibus iuris imperatorem soluerit: nihil tamen tam proprium imperii est, quam legibus vivere. Paull. L. 14. D. (L. 40. T. I.) de manū. Imperator cum seruum manumittit, non vindictam imponit, sed cum voluit, fit liber is, qui manumittitur ex lege Augusti. L. 14. Cod. (6, 51.) de caduc. toll. — nec illi (fisco) pepercimus, nec Augustum priuilegium exercemus; qui locus hue prorsus non pertinet. Laudatur etiam ab Ottone V. C. locus Arcadii Charisi. L. I. D. (L. I. T. 11.) de Off. praef. praet. quo dicatur lex, qua regimenta imperii sunt translata in Imp. At haud dubie eum non inspexit. Est ibi: regimentis imperii ad Imp. perpetuos translati, quae verba nihil aliud valent, quam quod Florusⁱ⁾ dicit, Augusto summam rerum esse commissam. — Iam initio quidem, qui istos locos legerant, putarunt reuera existisse olim legem, forte sub Augusti principatu^{k)} latam, qua omne imperium in principem esset a senatu et populo translatum. Sed quum appareret,

non

g) Alijs locis, quos Gothofr. attulit, eadem potestas senatu tribuitur.

h) Hic maiestas imp. quae alias Lex regia.

i) L. 4. C. 3.

k) Sic Casaubon. ad Strab. G. p. 1197. *Vulteius, Hotomanus, Balduinus, Pigbius, Beamanus*, etiam *Augustinus*, vt videtur, in L. de Legg. V. Regia T. I. p. 1255. ff. Thes. Graev. *Muretus* in Comm. de Const. Pr. T. IV. Thes. Ott. p. 203. censet quoque legem regiam fuisse, sed eam intelligit, quam L. Flaccus de Sulla Dictatore perpetuo

tulit, quod iam Otto in pr. refutauit. Et Carranza Comm. de partu natur. et leg. p. 143. originem legis R. repetit ab eo tempore, quo tribunitia potestas Augusto est delata. At Cæfari iam similis potestas fuerat decreta. v. Fabr. ad D. Cass. p. 316. f. Alii aliunde hanc legem repeterunt. v. Ern. Exc. II. ad Tac. p. 677. Alii omnem omnino populi potestatem in principem transisse statuerunt, et si non legge lata, vt Goueanus Var. Leq. 2, 30. Cicceius ad L. Princ. ff. de Const. Pr. Campianus.

non posse proprie accipi vocabula Lex Regia, et ita, ut vere lex hoc nomine olim insignita fuerit, propterea quod omne regium nomen Romanis admodum fuit, inde ab exactis regibus, inuisum¹⁾: soliti sunt dupliciter hac de re statuere, et vel tropice explicare de variis SCtis, quibus admodum audita est Augusti potentia,^{m)} vel postquam semel coepit esset, in bonum Tribonianumⁿ⁾ inuehi, et credi, multa eum confinxisse, legem regiam quoque fraudibus eius et calliditati^{o)} tribuere.

Iam igitur ut, vtra harum sententiarum verior sit, iudicemus, videndum est, quae fuerit et quanta Impp. Rom. potentia, quae senatus et populi iura sub principibus, atque adeo constitutio ciuitatis R., qualis Imperatoribus prioribus regnabitibus fuit, breuiter declaranda videatur. Neque enim hic valent praecepta iuris naturae ac gentium, saepius hac in re male adhibita^{p)}, sed grauis historicorum est auctoritas sequenda. Quia tamen ipsa in re, ne a vero aberremus, duo admonenda et diligenter obseruanda sunt, primum, ne temere scriptoribus illius aetatis in omnibus, quae tradiderunt, habeamus fidem, quorum alii, ut gratiam principum auctupentur, alii, ut inuehi magis in dominationem eorum possint, augent nimis Imperatorum potestatem;^{q)} alterum, ut speciem a veritate discernamus, nec

decipi

1) vid. Suet. Caes. 52. ff. Dio C. 53, 17. cf. Schook. p. 133.

m) Gronovius, Noodtius, Heineccius, (Synt. Antt. Rom. I, 2, 62. ff.) alii. Ita etiam capio verba Eu. Ottonis, qui explicat de instrumento imperii, quod sub Augusto natum et sub singulis Impp. reperitum auctumque sit, donec Antoninorum saeculo Lex regia dicta fuerit.

n) Huc pertinent Horomani Antitribonianus, aliquique Triboniano mastiges. cf. egregia Ant. Schulringii Oratio, culpandusne sit Trib. etc. ad calcem Iurispr. Anteius.

o) Schookius, Grauina, Beaufort, J. H. Arntzenius in Spec. Obff. C. 4,

— Cf. omnino de his variis L. R. explanationibus Eu. Otto. p. 511. praef. Thes. T. IV.

p) Egregia est animaduersio G. Masonii ad Grau. p. 511. „Non potest de potestate principis diffiri, ut de ente metaphysico (sic tamen, praeter alias, Metaphysicus) semper inuicem renitentibus principe mixtisque quaestib; iuris et facti, etc.

q) Omnino Historici illorum temporum non poterant accurate res gestas tradere, cum omnia fere aliter vulgo narrarentur, quam essent facta, auctore Dione C. 53, 19. Fuerunt etiam plerique partium studiis addicti. Namentem

decipi nos patiamur popularibus multorum Imp. et dictis et factis.²⁾ Igitur viuentibus adhuc Antonio atque Lepido multa Augusto decreta sunt, etiam hoc, ut sacrosanctus esset; ipse autem, quae olim senatus fuerant, iura nonnulla exercuit; dedit enim Vicensibus aliisque ciuitatis ius³⁾. Neque tamen iam tum prorsus sublata erat Romanorum libertas, sed ea, victo demum Antonio, priuati sunt, teste Dion⁴⁾ e cuius sententia seruitus Röm. a die Actiacae victoriae (d. II. Sept. A. 100XXIII.) incepit. Iam, quibus modis acceperit imperium omne, omisiss inanibus honorum titulis, videamus. Et statim quidem post de-
victum Antonium decreta iphi est tribunitia potestas perpetua⁵⁾ sed ita aucta, ut possit ad eum semper prouocari, et ipse suffragii⁶⁾ sui beneficio reos absoluere; ut denique sacerdotes, quot vellet, adlege-
ret⁷⁾. Suscepit quoque Imperatoris nomen, non veteri illa, sed noua

scentem principum potestatem alii ni-
mis extendebant, alii, libertatis retinen-
dae cupidi, minuebant. Gell. N. A.
13, 12. Et Tacitus quidem ipse, cui
placebat antiqua ciuitatis forma, ut
rectius deplorare mutatam eius faci-
em, iustius reprehendere principum
ambitionem, posset, plus potestatis,
quam habuerunt, tribuisse iis viderur
(v. Ann. in. I. I. c. 7. aliosque locos
quibus nimiam fingit senatorum adu-
lationem); idem fecit Dio Cassius, sed
aliis de causis, vel quod ignoraret
primum mutatae ab Aug. reipublicae
formam, vel ut adularetur suae aeratis
Imp. Quae assentandi vanitas abri-
puuit Senecam, ut scriberet, quae ine-
pta in L. de Clement. c. 1. leguntur.
Nec ex Augusti laudatione funebri (D.
C. 55, 35. ff.) aliquid efficitur, nec
ex iis, quae vulgo post mortem eius
dicta sunt, concludi potest, sub eo fu-
isse fere democratiam. De mortuis
plerumque meliora, quam veriora, di-
cuntur. Multo minus e Suetonio co-
gnoscitur forma reip. ab Aug. constitu-

tae. Is omnia illi tribuit. De Velleio
(I. 2. c. 89.) non opus, ut dicam. Cf.
Rhunk. V. C. praef. ed. Vell.

r) Multi Imp. faciebantur, se legi-
bus subesse. v. L. Digna vox Cod. de
Legg. L. 3. Cod. de Test. Noluerunt
plerique se dominos appellari, nec ante
Caracalli aetatem hoc nomen in
numis conspicitur v. Bandur. Num. T.
II. p. 93. Reim. ad D. C. T. II. p. 852.
quae et alia, fuerunt speciosa verbis,
re inania aut subdola, quae sunt verba
Tac. Ann. I. 81. Plura similia attulit
Schook. p. 130. ff.

s) Dio C. 49, 15, 54, 25.

t) L. 50. C. 1. οὐδὲ δῆμος ἀπειθῶς ἔδη-
λωση, quo loco ἀκριβῶς est i. q. ἀληθῶς; vt
L. 52. 1. sed ἔδηλωση est verbum ni-
mium.

u) Cf. D. C. 53, 32.

v) Hoc suffragium dicitur ψῆφος
Ἄθηνας, quod non intellexit Schook.
p. 46. Respondet nostro, votum deci-
siuum. Cf. Fabr. ad D. C. p. 651, 45.

w) D. C. 51, 19. f. vbi pro προσαιρεῖ-
σθαι lego προσαιρεῖσθαι.

noua significatione, qua summum imperium indicaret. ^{x)} Cum vero simulanti depositurum se esse imperium illud confirmatum esset: partitus est cum senatu prouincias, qua in re in primis calliditas principis summam potentiam adfectantis cernebatur, et imperium tantum in decennium suscepit, sicutque singulis sibi quinquenniis ac decenniis renovari, quo abduceret homines a suspicione monarchiae. ^{y)} Etenim iam tum erant omnia in Augusti potestate, aerarium etiam publicum et exercitus ^{z)}, recteque dici poterat regnare ^{a)}. Quamuis reliquisset antiquorum magistratuum nomina, et institutorum prisorum speciem. ^{b)} Initio, omnia, etiam remotissima ^{c)}, ad senatum et populum retulit, postea non amplius. Adhibuit quoque senatum in iudiciis, legationibus, etiam legislatione; ^{d)} et si enim multas tulit leges, ^{e)} tamen quasdam primum in senatu promulgavit. Populo reliquit comitia, ^{f)} sed in his omnibus nec a senatoribus nec a ciuibus, nisi quod ipsi placeret, ^{g)} fieri poterat. Et ut in vrbe quoque imperium in senatum haberet, data est ipsi Proconsularis potestas, ^{h)} atque ius, ⁱ⁾ quando veller, senatum conuocandi. Neque iura vel delata vel arrepta neglexit, sed, quamuis veller popularis ^{k)} videri, et in nonnullis moderate se

^{x)} D. C. 52, 42.

^{y)} D. C. 52, 13.

^{z)} D. C. 53, 16. qui c. 17. οὐτω μὲν δῆ το τε δέσμια καὶ τὸ τῆς γερουσίας πράτος πᾶν ἐς τὸν Αὐγουστὸν μετέστη, καὶ ἀπὸ αὐτῆς καὶ ἀκριβῶς μοναρχία πετέσθη. — Cf. Tac. Ann. I, 2. Strab. L. 17. p. 1197.

^{a)} Dio C. I. I. c. 17. ἐν ἔτοις δὲ τοιαῖς ρεσιλεύονται, quae stultissime interpretatur Metast. I. I. p. 116.) et c. 18. ὡς εἴη τὰ τοῦ βασιλέων πλὴν τῆ φρεστικῆ τῆς προσαγερίας αὐτῶν ἔχειν. Appian. praef. T. I. εἰσὶ δὲ ἔργα τὰ πάντα βασιλεῖς.

^{b)} V. omnino Dio 53, 17. vbi verba ἀρχαι αἱ ἐκ τῶν νόμων ὡς πλήθει γενέμεναι sunt corrupta. Pro ὡς πλήθει corrigo τὸ πάλαι et mox pro ταῦτ' ἔχειν orationis series scribi ταῦτ' οἱ. iubet.

^{c)} οὐδὲ εἰ πόρρω πε συμβάν D. C. 53, 19. vbi καὶ εἰ pro εἰ καὶ cuius vltus harum parti. alia dedit exempla Vir Cel. quem non sine gratissimo pietatis sensu nominare possum rerum mearum statorem — Morus Anim. ad Long. (a. 1773.) p. 49.

^{d)} D. C. 53, 21. 55, 4.

^{e)} ἐνομοθέτει πολλὰ Dio I. I. Suet. Aug. 34. Frustra igitur Grauina de Imp. R. p. 501. negat habuisse Imp. potestatem legum ferendarum.

^{f)} D. C. 53, 21.

^{g)} Dio ib.

^{h)} D. C. 53, 32.

ⁱ⁾ D. C. 54, 3.

^{k)} D. C. 54, 14. Hanc popularitatem alii malebant simulationem appellare Tac. AA. I, 9. f.

B

se gereret, tamen saepe nomen atque vim legislatoris et dictatoris ostendit.¹⁾ Potest etiam de Augusti imperio iudicari recte ex oratione, dignissima lectu, qua Maecenas eum, quomodo imperium constituentem esset, monuit,^{m)} propterea quod pleraque illius praecepta fecutus statim Augustus reperitur, nonnullis tantum aut dilatis in aliud tempus, aut posteritati relictis.ⁿ⁾ Ex illa^{o)} colligi potest, exercuisse Augustum summum imperium et plane regium, sed fere per senatores.

Tiberius, quoad Germanicus vixit, omnia ad senatum rerulit, et cum eo deliberauit, passus alios a sua sententia discedere^{p)}, omninoque libertatis speciem introduxit^{q)}, sed mortuo illo, quem verebatur, mutauit valde rationem imperandi^{r)}, seruitutemque induxit.^{s)} Transtulerat quoque comitia creandorum magistratum ad senatum a populo, sed reuera princeps creabat magistratus vel ipse vel per senatum.^{t)} Caius Caligula initio et ipse popularis videbatur, sed mox fuit *μοναρχίας τάταρος*^{u)} noluitque quidquam iurium ac honorum sibi decretorum

1) D. C. 54, 3.

m) Ap. Dion. C. 52, 15—40. Cf. Io. Henr. Boecleri Maecenas. 1643.

n) v. Dio C. 41.

o) Sudet Augusto, vt ipse magistratus eligat vel commendet, leges ferat, praemia poenias constituat, *πάντα νόμος εὐθύς ή πᾶν οὗ, τι ἡ βασιλευτικὴν σοι μετὰ τῶν δημοσίων ἀρέσῃ* (quod valet ad illustrandum Vlp. L. I. D. de Const. Pr.) vt pleraque apud senatum et per eum, plebe neglecta, agat, plurima (*τὰ μέγιστα* quod c. 32. additur, est glossema) iudicia publica (ita accipio *τὰ τῷ δημοσίᾳ προσίκοντα* contextu suadente) mandet senatu etc. *ὅτε οἱ τὰν τὸ τῆς βασιλείας ἔργον οἴνοι τῆς ἐπανυπίστας ἐπιφόνια καρποῦσθαι.*

p) D. C. 57, 7. II.

q) Suet. Tib. 26. 30.

r) D. C. 57, 13.

s) Tac. 2, 35. 38. Suet. 33.

t) Tac. AA. I, 15. Optime comitiorum rationem sub Tiberio explicit

Reimar. ad D. C. 58, 20. Nam ipsum Dionis locum corripiunt librarii. In primis leguntur ibi verba, *τὰς ἀρχατας ὅτας ἔνεκα*. Reim. coniicit *τ. ἀρχαιρεσίας ἔνεκα* ad electionem magistratum. Reisk. in Anim. ad Scr. Gr. Vol. I. ad h. 1. desedit vulgatum et explicat *vetustum ritum* (sed sic *ὅτα* non usurpatur) negatque *ἀρχαιρεσία* in sing. de electione magistratum dici, at v. Pieron. ad Moer. p. II. Equidem sensum loci punto repugnare coniecturae Reisk. atque sic emendo: *καὶ μετὰ τέτο ἐσ τὸν δημονον* (c. centuriata) *καὶ ἐσ τὸν πλῆθος* (c. tributa) *οἱ προσήκοντες ἑμιτέρῳ τῷ ἀρχαιρεσίᾳ* (qui magistratus ad alterutrum comitiorum genus olim pertinebant), *ὅτας ἔνεκα* (dicit causla, vt species esset antiquorum comitiorum) etc. Locos Dionis C. quibus *ὅτας ἔνεκα* sic usurpetur, suppeditat Index.

u) D. C. 59, 3. multa fecit ex arbitrio ib. c. 8. 9. 12.

tum in senatus potestate esse videri^v). Eo mortuo cum senatus dubitaret, siue restituenda democratis, nec ne^w): milites Claudio dederunt imperium, quod confirmare senatus cogebatur^x), atque inde maior statim auctoritas militum fuit in imperatore constituendo, quam senatus, paullo post maxima et unica. Sequentium principum hinc maior alta potestas; si qui erant boni, hi populares Imp. erant, Imperatores tamen. Talis Galba fuit^y), inde in numis eius legitur^z) *Libertas Restituta*. Otho atque Vitellius contemserunt senatum, atque, prout lubebat, administrarunt remp.^a). Vespasianus, eiusque filius, et Nerua nihil fere constituerunt, de quo non retulissent ad senatum, sed senatores tamen non nisi consilia dabant, nihil ipsi potestatis, quam principi commiserant, habebant^b). Optimus fuit haud dubie princeps Traianus, qui senatu cum aliis^c) honores, tum hunc etiam exhibuit, ut pacem, quam fecerat, ab ipso ratam haberi vellet^d). Nec Hadrianus minus venerabatur senatum, a quo imperium sibi confirmari iussit, et per quem illud administravit^e). Marcus autem Imp. libenter fatebatur^f), omnia senatus esse et populi, se tantum administratorem. Itaque Imp. vtebantur vere regio imperio, sed mandato sibi a ciuitate, et nomine eius ac arbitrio; erat respublica sub principe, ut summi Heynii verbis utar^g). Sed mox militari orto imperio Imp. omnia ex arbitrio agere, se dominos, non tutores, imperii putare, tyrannidem

B 2

exer-

v) D. C. 59, 23. vbi verissima est Reimari coniectura.

w) D. C. 60, 1. Suet. Claud. 10. Sentius Saturninus populo tum iam de libertate recuperata gratulabatur v. Ios. Antt. Iud. 19, 1.

x) D. C. 60, 1. Claudio regem saepe se gessit c. 8. 17. 24. et fecit multa inconsulta senatu c. 28.

y) Xiphil. 64, 1. qui l. 61, 5. e Dione refert, Neronem τὸν αὐτογαρο-
ποὺς λεχόδος ἔργον etiam hoc putasse, τὸ
μηδὲ ἐν τοῖς κακίσιοις μηδὲν ὑπερίσιν. Et Neronem quidem ex arbitrio suo omnia
fecisse in promtu est.

z) ap. Mediobarb. p. 99. ff.

a) Xiphil. 64. 8. 9. 65, 2.

b) Xiphil. 66, 10. 19. 68, 2.

c) Xiphil. 68, 5. ff. De moderatione
Traiani v. omnino Plinii Paneg.

d) Xiphil. 68, 9. coll. Spanih. de Pr.
et V. N. T. II. p. 140. ff.

e) Xiphil. 69, 2. 7. Spart. 6. 8.

f) Xiphil. 71, 33. eadem dixit Ha-
drianus v. Spart. c. 8. Add. Iul. Capit.
in M. Ant. 10. 12.

g) in Comp. Antt. R. quo elegan-
tius, quoad descriptionis rationem non
prodiit, nec poterat, nisi a tanto Viro,
exspectari.

exercere, senatus autem militum vim timere^{h)}). Erat tamen vel tum senatus sub bonis principibus aliqua auctoritasⁱ⁾, nec plane evanuerunt iura eius post Constantini tempora^{k)}). Comitia quoque aliquamdiu manserunt curiata^{l)}). Non opus est, ut de Imperatorum potestare post Antoninorum tempora dicam, cum eam summam et tyrannicam fuisse constet, et temporum illorum cognitio facile e libris veteribus, recentioribusque^{m)} etiam, multis hauriatur.

Iam vero ex iis, quae e scriptoribus antiquis excerptissimus, sponte apparer, fuisse Impp. R. iam ab initio potestatem fere regiam, parem ei, qua nunc Britanniae reges vntuntur, interdum adeo maiorem.ⁿ⁾ Quid igitur? fuitne olim lata aliqua lex, qua modus imperii definiretur? Extat quidem monumentum vetus, cui nomen Legis Regiae, sed perpetram, tribuitur. Scilicet saeculo XV. medio, cum Clemens VI. summo fungeretur pontificatu, Romae prope aedem Iohannis Lateranensis repertrum est per *Colam de Rienzo*^{o)} fragmentum SCti cuiusdam, quod cum primum esset prolatum, magno cum plausu a populo R. tum aitam

h) Xiph. 78, 17.

i) Plin. Epp. 3, 20. L. 8. Cod. (12, 1.) de Dign. Xiph. 74, 2, 17. Iubebant multi sibi a senatu confirmari imperium, Xiph. 73, 1. Herod. 2, 10. Metastas. c. 38. et Mascouii Or. de v. er pr. hist. Aug. in iure ciu. praemissa Scr. H. A. ed. Puitm. p. 62.

k) v. Curtius de S. R. I. 3. et 5.

l) Tac. A A. 14, 28. Plin. Paneg. 63.

m) in primis *Diezii* V. Cl. libello de forma imperii administrandi a Constantino mutata L. 1752. tum et *Monesquieu Considerations sur les causes de grandeur des Romains et de leur decadence*. Lauf. 1745. *Vertor Revolutions de l' empire R. The history of the decline and fall of the Roman Empire by Edw. Gibbons* Lond. 1776.

quamvis eum librum non tantas mereri laudes monitus didici, quantae ab imperitis ei tribuantur.

n) Extat Pet. *Negeſchii* Comparatio Cl. Tiberii et Oliu. Cromwelli 1656. 4.

o) Vid. *La vie de Rienzo*, a Bracciano 1631. Temere miratur Cl. *Iagemann* in Hist. litt. Ital. vol. 3. P. 2. p. 238. eum peritum fuisse antiquatum Rom. Omnino doleo *Iagemannum* hanc vilissimam compilationem scripsisse parum accurato iudicio, nec idonea linguarum Scientia instructum. Centena possem vitia eius proferre ora ex linguarum imperitia. Adeo necessaria earum cognitio est Historico, si velice nomine dignus h. e. talis videri, qualis fuit *Schoepflinus*, estque apud nos *Boehmius*, V. Ill.

eam spirante libertatem, eiusque duce Nicolao Laurentii F., excipiebatur. p) Tabula illa postea in Capitolum delata est sub Gregorio XIII. sed Clemens XII. eam in Museo esse iussit; ipsum vero fragmentum primus inde edidit *Franciscus de Albertinis*^{q)}, post quem cum aliis^{r)} prope innumerabiles, ediderint, nolui illud hic repetere; copioso autem, sed nugarum plenissimo, commentario, illustrare studuit *Metastasius*^{s)} sed nemo melius explicuit *Ernesto*, Venerabili Sene. Hoc in fragmento SCti, ut videtur, datur Vespasiano ius foedera faciendi, senatum habendi, candidatos honorum commendandi, agendi, quae e republica esse videantur, aliaque, quae iam Augusto et quibusdam relictorum Imp. fuerant decreta. Sed primum, quia insunt huic fragmento, quae dochis suspectum reddere possint^{t)}, fuerunt non pauci, qui supposititum^{u)} esse contenderent, contra extiterunt, qui auctoritatem eius et fidem tuerentur.^{v)} Sed siue genuinum sit, siue spuriū, doceri inde nullo modo potest, legem fuisse aliquando latam, qua summa et absoluta imperatoribus deferretur potestas.^{w)} A tali enim

B 3

lege

p) Annal. Pistorienses ad a. 1347. inter Scr. Rer. It. T. XI. Grau. p. 506.

q) In lib. de Mirandis veteris Romae. R. 1508, 8.

r) Plurimos, qui fr. illud exhibuerint, laudat Cel. *Saxe* in Onom. T. I. p. 260, ff. quibus addi possunt *Curtius* et *Bellefortius*. A Broterio cum ipsa tabula collatum dedit *Ven. Ernesti* Exc. II. ad Tac. p. 673, T. II. nuperime vero editum est in *Musei Capitolini antiquis inscriptionibus per Franc. Eugen. de Guasco* Tomo III. (R. 1778. fol.) cap. 12.

s) De Lege Regia s. Tabula aenea Capitolina, Notis animaduerisionibus et variis (inutilibus) quaestionebus illustrata per *Leop. Metastasium*. R. 1757. 4.

t) In verbis et rebus quaadam occurunt insolita. Schook. p. 80. ff. Curt. de Sen. Rom. I, 3. Sed tamen

alia haec esse videntur, ut possint, si locus hic sit, facile reselli.

u) Iam *Voetius* ad Tit. de Const. Pr. § 15. dubitauit, an illud fr. genuinum sit. Tum illud impugnarunt Schook, Curtius aliquique, et nuper *Petrus van Spaan* in singulari libello: Specimen histor. iuridicum de SCto de Imperio Vespasiani LB. 1768. 4.

v) ut *Raphael Fabrerrus* in ep. ad Grauin. sub fin. l. 1. de or. iur. p. 142. tum *Scipio Maffei* Art. Crit. Lap. l. 3. c. 2. p. 160. f. *Metastasius*, etiam *Saxius* V. C. l. 1. p. 262.

w) Id postquam fatis docuerat Schook. p. 96. ff. monuit et *Saxius* p. 264. — Obiter moneo, legi etiam aliud SCtum de lege Regia, qua S. P. Q. R. omne ius suum in Henricum VII. Imp. contulit in *Goldasti* Const. Imp. T. III. p. 408.

[decorative separator]

lege regia longissime fragmentum distat, neque adeo nomine legis regiae debebat insigniri. ^{x)}

Sed adsunt tamen testes non contempnendi, Vlpianus atque Tribonius, qui diserte *legem regiam*, per quam omnis populi potestas in principem transferit, commemorant. Hi igitur aut impropre illa vocabula usurparunt, aut finxerunt legem, quae nunquam fuit. Quod cum censent Bellefortius, eius nunc examinanda sunt rationes. Prima haec: Tribonianus hanc legem mentitus est, ut eius ope defendetur mutationes priscarum legum. Et eum quidem multa in legibus librisque ICtorum immutasse ^{y)} certissimum est. Sed quebatur satis hanc hominis temeritatem, si temeritas potius quam prudentia appellanda sit, Iustiniani auctoritas, qui adeo censebat, Imperatori deum ipsas leges subiecisse^{z)}. Iamdudum ^{a)} antiquos Romanorum animos deleuerat pessimum principum crudelitas, et seruituti adsueficerat; interierant gentes priscae, libertatis vindices, earumque loco ciuitatem adepti erant barbari ac serui ^{b)}, qui non minus quam Graeci, adulabantur dominatio- ni Impp. Apud hos Triboniano non opus erat regiae legis figmento. II. „SCum de imperio cuiusque, factum ^{c)} non dici potest Lex Regia.“ At varia SCta, quibus summa potestas principi deferebatur, impropre ita dici posse infra ostendemus. III. „Inde ab Hadriani aetate demum Impp. sic administrabant imperium, quasi Lex R. esset, h. e. pro arbitrio.“ At vidimus, priores iam Impp. ciuitatem dedisse et ademisse, distribuisse re- gna, tulisse leges, aliaque, ut reges, fecisse, sed fecisse, hos quidem senatus populi nomine et auctoritate, posteriores sua; igitur fuit tamen et illis regium imperium. Deinde fac, fuisse legem regiam, quod non credo,

x) Perperam Legem r. et hoc fragm. permiscent Grauina, Curtius et Metaстafius.

y) Vid. Hist. Iur. Cap. de Conf. Dig. §. 10. L. de vet. iur. encl. Cod. (L. 1. T. 17. 1. §. 2. et 7. 3. §. 10.)

z) Nouel. 105. §. 4. vbi multa h. l. r. disputat Gothofr.

a) Nam quod Campianus l. 1. p. 19.

contendit, Romanos retinuisse libertatem, quoad patriis legibus vterentur h. e. vsque ad Odoacrum, id et omni rerum humanarum naturae et historiae testimonio repugnat.

b) Notissima est Constitutio Antoniana l. 17. D. de Statu Cf. Spanh. Orb. R. 2. 5.

c) Tac. Hist. 4. 3.

credo, debuitne ante Traiani tempora lata esse? IV. „Tribon. et ante eum Dio C., tribuerunt verbis *legibus solutum esse*^{d)} vim nimis amplam, quam non habuerunt.“ Quod verissimum est, sed num inde sequitur, legem regiam finxisse Tribonianum? Haud dubie eius verba non cepit B. V. „Si Dio tradit, Augustum leges mutasse, id aliter intelligendum.“ cur vero non proprie? VI. Inter SCrum, cuius fragmentum restat, et legem regiam Trib. nulla intercedit similitudo.“ Est vero aliqua, eaque in hoc, quod in illo SCto quaedam tribuuntur Impp. iura, Lex R. complectitur omnes omnino regii imperii partes, quas variis modis principes sunt consecuti; qua ipsa de causa vnum illud SCrum dici Lex Regia nequit, ei tamen simile est. VII. „Senatus constituebat postatem Impp.“ Nen repugno, sed sequitur tantum, eos gessisse regium imperium a senatu sibi demandatum, atque adeo eius nomine. VIII. „Imperator erat primus inter magistratus *reip.*^{e)} qui varia diuerorum magistratum iura haberet iuncta; vnde plures honorum tituli, quibus tanta non est tribuenda vis, quantum Dio tribuit.“ Is vero

non

d) Scil. Impp. ab obseruatione legum quarundam liberi sunt facti. Cui decretum esset, vt vna quadam lege non teneretur, is dicebatur *legibus solvi* v. Liv. 10, 13, 9. Suet. Caef. 18. Cic. Phil. 2, 19. p. L. Man. 21. Sic Augustus lege Cincia, Caligula lege Iulia et Papia, soluti, h. e. legibus v. Noodt Obff. 1, 2. et Or. de L. R. Non omnibus Impp. soluti erant legibus. v. Leg. 4. Cod. (6, 50.) ad leg. Falcid. et omnino Metaft. c. 20. Serioribus temporibus non intellexerunt satis antiquae formulae vim, et de *omnibus legibus* male interpretabantur. v. Graev. ad Suet. Caef. 18. Atque sic cepit etiam Dio C. Non is de vna lege loquitur (vt putat Noodt Opp. T. I. p. 269. si non adulatur Imperatori) (Schook. p. 26. f.) non e suaet more loquitur (Eu. Otto pr. Th. T. IV.) non hoc vult, eum potuisse leges abrogare

(Reim. ad D. C. p. 713.), sed noncepit bene latina verba, quod perire monet idem Graeu. ad Cic. Phil. 1. 1. Atque id docent verba D. C. 53, 18. et 28. — Postea volebant Impp. legibus omnibus liberi videri (L. 23. Dig. de Legat. tertio L. 3. Cod. de Test.) et inde ab Antoninorum aetate solutiis apparent. Vnde nemo erit, qui miretur, Tribonianum talia dicere. Vopianus autem, vbi principem facit legibus solutum, intelligit Iuliam et Papiam, quam illustrat, nec opus erat vt eas adderet, quod contra Sch. p. 175. moneo. cf. Noodt. ad Pand. 1, 3. p. 13. Fuerunt etiam Impp., qui non omnibus legibus solutos se esse faterentur, vt Theodosius atque Valentinianus L. 4. Cod. (I. I. T. 4.) de Leg. et Const. Pr.

e) der erste Beamte der Rep. Miror eum non ex Tac. AA. 12, 5. confesse,

~~~~~

non maiorem his honoribus adsignat potestatem, quam qualis liberae reip. temporibus fuit. Et in eo sita fuit regia Imp. potestas, quod varias imperii partes, varia iura, per diuersos olim magistratus dispersa coniuncta soli sibi vindicabant. IX. „Senatus summam exercebat potestatem — imperium dabat, et adimebat.“ Horum primum vanissimum est, vt ex iis, quae iam disputauimus patet; imperium senatum dedit, in nonnullis Imp. verum est, sed quem eo priuare ausi sunt? X. „Cum omne arripiuerent Principes imperium, ortaque militaris esset dominatio, militum vis erat, quae summam tribueret illis potestatem, non Lex Regia.“ Hæc nihil aliud sibi volunt, quam non fuit regia lex proprie sic dicta vñquam lata, quod quidem nemo harum rerum gnarus negat.

Sed ex omnibus his quae e Bellef. protuli, clarissime, credo, apparet, non iustum regiae legis, qualis in Trib. et Vlp. locis intelligenda est, eum informasse sibi norionem. Quid igitur de ea statuendum sit, videamus. Erat iam Augusto regia potestas, sed non maior illa, quam arripiuerat Iulius Caesar.<sup>f)</sup> Hac Augustus, aliquie humani Imp. vtebantur non ex sua auctoritate, sed Senatus Populique nomine, quibus deberi, quorum ex arbitrio eam exercendam esse, fatebantur. Igitur vt olim populus imperium pluribus commisit magistratibus administrandum, sic nunc vni, qui imperium, quod collatum sibi vni erat vel conferri debuerat, exercebat, partim senatus populique nomine, partim per senatores<sup>g)</sup>; sed procedente tempore, cum milites eligerent Imperatores: hi imperium suo arbitrio et militum auctoritate gerebant<sup>h)</sup> erantque vere domini<sup>i)</sup>. Atque huc, quod initio principes rem. populi nomine administrabant, pertinet Ammiani Marc.<sup>k)</sup> locus toties male exhibitus: *Resp. Caesaribus tamquam liberis suis regenda patrimonii iura permisit;* et hinc Galba se legatum senatus populi que

eisse, principem fuisse vnum ciuium, quod vel Noodt. inepte adhibuit.

<sup>f)</sup> V. omnino Dio C. p. 316. l. T. 1.

<sup>g)</sup> Senatus contulerat imperium et eius erat particeps. Maec. ap. D. C. 52, 15. ff. Plin. Epp. 8, 14.

<sup>h)</sup> cf. Mascou. ad Grau. p. 87.

<sup>i)</sup> V. Lafrant. de Mort. Perf. c. 21. Antoninus se νύγιον τῆς νόσου appellat L. 9. ff. ad L. Rhôd de iactu.

<sup>k)</sup> Amm. M. 14, 5.

*que R.*<sup>1)</sup> professus est. Haec omnis potestas in Imp. conferebatur non lege, sed dupli modo, I. sic, ut summorum magistratum vis<sup>m)</sup>, dignitas Consularis, Proconsularis, Censoria, Tribunitia et Pontificia eis tribueretur<sup>n)</sup>. Author optimus est Dio Cassius<sup>o)</sup> qui omnes imperatoriae potestatis partes a muneribus et magistratibus repetit. Et Augustus quidem censor<sup>p)</sup> senatu quosdam mouit, alia ut *magister morum*<sup>q)</sup> fecit, et instituit multa vi *Pontificiae*<sup>r)</sup> dignitatis. II. Per varia SCta Augusto, successoribus eius fere per unum et cum quodam incremento<sup>s)</sup>, delatae sunt variae imperii partes. Est clarissimus eam in rem Taciti<sup>t)</sup> locus: *Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit.* Hie duplex omnis imperii adipiscendi modus, in primis tamen plura illa SCta<sup>u)</sup>, dicuntur a Trib. *Lex regia*<sup>v)</sup> satis quidem improarie, ita tamen, ut et res vera sit, nec Tr. nomen illud confinxerit, sed

1) Suet. Galb. 10.

m) v. Tac. AA. I, 3. ibique Lips.

n) Cf. Schoepflin, de ext. et rest. imp. in Comm. hist. p. 87. Frustra certant Campianus et Metast. praef. p. 12. ille contendit, populum consulisse imperium suum in Imp. hic, habuisse eos diuersa iura diuersorum magistratum susceptione; hoc idem est, ille rem, hic modum, declarat. Pro *contrulisce*, quod multis offendit, dici potest *communicasse* cum Noodt. Obs. I, 3. p. 260. s. qui eandem fuisse censent sententiam Vlpiani D. de Const. Pr. atque eius verba *ei et in eum*, ridicule a multis exposita, docuit peri- te, non differre.

o) Lib. 53. c. 17. — cf. Metast. c. 31.

p) D. C. 52, 42.

q) D. C. 54, 2. coll. c. 30.

r) Suet. Aug. 31. Hinc Imp. ad Gratianum usque retinuerunt Pontificatum. Van Dalen diff. 2, I.

s) Noodt. I. I. Otto I. I.

t) Hist. 4, 3. Ven. Ern. hic tantum honores intelligit, alio die ei potestarem a senatu decretam censem, q. d. r. c. 6. At bene disputauit contra Cl. Crollius, et vel similes loci Tac. H. I, 47. 2, 55. Suet. Dom. I. D. C. 59, 3. 60, 1. docent, uno eodemque die imperium et titulos principi decretos esse. Igitur eo ap. Tac. c. 6. est eodem.

u) Non plane insolens est, SCra appellari *Leges*. Sic de SCto Macedonio Tacit. AA. II, 13. — Ceterum duobus illis Vlp. et Trib. locis Lex regia dicitur potissimum ratione legislatoriae potestatis, neque tamen nego *imperium* generali senatu ab Vlp. dici. v. Masc. ad Grau. p. 508

v) Grauina de or. iur. I, 14. p. 85. s. intelligit ipsam potestatem per magistratus et SCta acceptam; at de modo est sermo.

sed iam ante eum usurpari coeperit<sup>w)</sup>), ipse autem illud forte substituerit aliis verbis, quibus vius de eadem re fuerat Ulpianus<sup>x)</sup>). Nam quod censebat Summus *Ernestus*<sup>y)</sup> lege curiata confirmatum esse SCtum de imperio principis, illamque dici *regiam*, id partim caret idonei scriptoris auctoritate, partim nititur suspicione illa, qua putabat diversa SCta de honoribus et de imperio fuisse.

Atque haec sunt, quae de indole imperii R. post tempora liberæ reip. deque regia lege ad defendendum Tribonianum breuiter tradi locis scriptorum veterum atque iuris recte explicatis posse videbantur. Quae quidem bene disputata a me putabuntur, si *Vestra* se probauerint iudicio, *Eruditissimi Viri*. Ad *Vos* enim nunc redeo, quos laetor, nouum hodie insignis doctrinae edidisse specimen, et, quae semper solent virtutes comitari, laudes e cerramine illo retulisse maximas. Quid enim? ego quocum amicitiam coluisti diligentissime, qui proficitur *Vos* obseruantia et cultu omni, cui contigit fauoris *Illustrium PARENTVM Vestrorum* ornamentum maximum: ego non laeter de praemiis laudum quae *Vestrae* eruditio tribuuntur instissima, deque felicitate *Vestra*? Immo, si vñquam quidquam, hoc maxime opto, vt *Vos* diu videam perquam felicissimos. Haec felicitas manet virtutes *Tuas* magnas, *Iurisconsultissime D. WINCKLERE*, sequeturque assida comes, et quo certius est fore, vt merita *Tua* ornent aliquando patriam et augeant, eo laetius praeuideo, gratam patriam adiutorem suum esse vicissim ornaturam luculentissimis praemiis. *Tibi* vero amicissime *HENRICE WINCKLERE*, tanti *PATRIS* fili, *FRASTRIS* talis germane, quin eadem olim euentura sint, qui dubitem? Persuasisti *Tibi*, vnam esse virtutis et optimorum studiorum viam, qua ascendi possit ad felici-

w) *Ern. ad Tac. T. II. p. 678.*

x) ut saepius fecit. v. Schook. p.

148. ff.

y) Quia lex, qua Romulus imperium accepit, fuit curiata, Consulibus quoque honor centuriatis comitiis, imperium curiatis, deferebatur, suspicatur ὁ τάνω, etiam sub Iul. mansisse Curiatam Legem. At nullus scrip-

torum eius meminit, et Vespasiano uno die honor atque imperium decreta, quod series narrationis Tac. docet, vidit etiam laudatus iam Crollius. Non omnes tamen honores, omnia iura semper eodem die decreta esse, pleraque tamen et maxima colligi potest e Iul. Capitol. Pert. c. 5.

felicitatis arcem; hac incedis, hanc persecuturum *Tē* esse hoc die, quo  
*Fratre* duce in Themidis castris militasti, quasi professus es; igitur eo  
peruenies, quo venturum *Tē* prouida PARENTVM cura sperat, amici  
confidunt. Non frustrabitur nostram *Tuamque* spem euentus, con-  
tingent digna studiis *Tuis* praemia, haec *Tibi* precor. Vterque vero  
*Vestrum* ut pergatis amicitia et fauore me amplecti, humanissime rogo.  
Ornabitis hoc beneficio cultorem *Vestrum* studiosissimum, amicum con-  
stantissimum, admiratorem cupidissimum, laetissimum felicitatis *Ve-*  
*stra* spectatorem.

Nunc audite beneuole, quae Amici suo nomine me *Vobiscum*  
agere voluerunt. „Nolite, inquiunt, credere, nos consuetudinis vi-  
ductos gratulantium simulare orationem; pietas est, quae nos verissi-  
mos laetitiae sensus testari cogat, et amicitia. Cuius quum ea sit ratio,  
vt, quae amico obueniunt faustissima, ea nobis eueniire putemus: non  
mirabimini; nos et laetari de hoc die *Vestro*, omnique, qui inde ad *Tē*  
inprimis, H. WINCKLERE, redundat fructus, maximopere, et ex  
animo optare, vt maiora sensim capiatis laudum, fortunarum, felici-  
tatis, incrementa, horumque honorum vsu gaudeatis perpetuo diu-  
que duraturo. Rata esse numen vota iubeat. Sed iidem nos confidi-  
mus, Vos quounque tandem fortuna seu potius Virtus Vos *Vestra*  
euexerit, non animos esse erga nos mutaturos, cuius in nobis amandis  
constantiae vt Vos nunquam poenitere possit, nos pietatis cultu omni-  
que officiorum genere effecturos esse sanctissime pollicemur.“



BELGER.

KVESTNER.

M. BENEDICT Cat. ad aed. P. RITTNER.

DOERING.

SCHVLTZE.

M. FVNCKE.

SIEGMANN.

HAVSSTEIN.

STOCKMANN.

HAYN.

COMES VITZTHVM AB ECKSTAEDT.

M. IVNGHANN S.

COMES VITZTHVM AB ECKSTAEDT.

KLAES.

COMES VITZTHVM AB ECKSTAEDT.

COMES DE WALLWITZ.

1751

Kb 5387

ULB Halle  
006 663 494

3



VDN8

AB 105

### Farbkarte #13

| Inches      | 1          | 2    | 3    | 4     | 5     | 6     | 7     | 8     |
|-------------|------------|------|------|-------|-------|-------|-------|-------|
| Centimetres | 2.54       | 5.08 | 7.62 | 10.16 | 12.70 | 15.24 | 17.78 | 20.32 |
| Blue        | Light Blue |      |      |       |       |       |       |       |
| Cyan        |            |      |      |       |       |       |       |       |
| Green       |            |      |      |       |       |       |       |       |
| Yellow      |            |      |      |       |       |       |       |       |
| Red         |            |      |      |       |       |       |       |       |
| Magenta     |            |      |      |       |       |       |       |       |
| White       |            |      |      |       |       |       |       |       |
| 3/Color     |            |      |      |       |       |       |       |       |
| Black       |            |      |      |       |       |       |       |       |

B.I.G.

A D

I R O S

S I M O S A C D O C T I S S I M O S

L G V I L I E L M V M

C K I E R V M

E T

G O D O F R E D V M

S K L E R V M

M Q V O R V N D A M

P I S T O L A

A KAL. IVNIIS A. CIOCCCLXXX.

R V D I T I S P V B L I C A G R A T V L A N T V R

F E R P R E T E

D DANIELE BECKIO

A. M.

e g i a R o m a n o t u m .

I P S I A E

H E M. H A E R D. E T K L A V B A R T H I A.

